Das letzte in diesem Bande ist Dublette

MONITOR SOMNIANS

SEU

SOMNIUM

PRAESENTEM

REIPUBLICAE POLONAE STATUM

REFERENS SIMULQUE

EJUSDEM

MELIORIS REDDENDI CONSILIUM

EXHIBENS.

MDCCLXX.

Cum paulo tardius quam alias lucubrationes meas protraherem, omniaque jam alto ſilentio tenerentur, placido tandem obdormivi ſomno, quem tragoediae non abſimile ſubito excepit ſomnium, totamque noctem cum inſigni voluptate ſpectatorem meum detinuit animum. Quod quidem ſomnium cum ad praeſentem rerum noſtrarum ſtatum plurimum facere obſervaſſem, idem palam faciendum ſive typis (prius quam animo excideret) mandandum duxi.

---

1. Itaque mihi viſum eſt, quaſi in urbe quadam vaſtiſſima (cui varii imminebant exercitus) eſſem poſitus, quae nullis propugnaculis fuit munita; portae inſcriptio fuit *Securitas;* ejus cuſtodes tam profundo ſomno erant ſopiti, ut neque ipſis incurſionibus hoſtium expergeſieri poſſent. In medio fori certis intervallis diſpoſita erant tentoria; inter quae potiore et eminentiore loco tentorium ex tela conſtructum cum titulo: *Domus Reipublicae.* Hoc contigua habuit duo aedificia, alterum a parte dextra inſcriptum: *Domus deſerta,* alterum a ſiniſtra inſcriptum: *Domus violata.* In foribus domus deſertae ſedebat mulier reverente quidem admodum vultu, oculis ardentibus, et ultra modum communem perſpicacibus; ſed lachrymis et ſqualore ſordida, altera manu tenebat calicem cum hoſtia, altera claves; veſtes ejus erant ſubtiliſſimis filis, nec humano ut apparebat artificio conſutae, ſed violentis manibus contextae; in ſinu repoſitum librum habebat, in pectore dictio legebatur: *Religio.* Ab auribus inſcriptio: *Verbum DEI.* Ab ore: *Praedicatio.* Ab oculis. *Spes.* A pectore cordis ſede: *Fides.* A manibus: *Opera charitatis.* In limine vero domus violatae ſedebat inſignis ſpecie mulier ſed languida et aſſuetudine malorum quaſi ipſo calamitatis ſenſu exuta, ſiniſtra bilancem, dextra enſem tetra

rubigine obductum tenebat, subjuncta inscriptione *Justitia.* Radio librae inscriptio fuit: *Aequalitas.* Gladio vero: *Poena malorum. Defensio Bonorum.* In eo tractu, in quo domus Religionis erat posita, stabat aliud aedificium amplum columnatim ita exstructum, ut quidquid intus ageretur, foris a circumstante turba videri posset, cui inscriptum fuit: *Domus consilii.* A parte Domus Justitiae stabat auro intextum tentorium supra fidem elegans, ventique indicem argenteum cum aquila alba deferens, huic supervolitans columba nitida coelesti quasi fulgore illustrans omnia, inscriptio ejus fuit: *Domus Regis.* In postica ejusdem parte: *Domus Reipublicae.* Ultra in conspectum prodibat tentorium, in quod unum multorum opes collatae videbantur, splendidum et magnificum foris, et intus auro et gemmis distinctum, inter insignia Familiarum habuit inscriptionem: *Domus Rei privatae.* Videbatur aemula Reipublicae, nam ejus exemplo binas contiguas aedes habuit, quibus se a lateribus communiverat, sed harum utrinque duplices et diversae inscriptiones erant. Nam altera a fronte: *Domus meritorum;* a tergo: *Domus cupiditatis.* Altera a fronte: *Domus dignitatis*, a tergo vero: *Domus Tyrannidis.* Erat sane, qui sola aedificia fori considerabat, si quod a tergo esset, non animadvertisset, vehementer ut deciperetur. In domo Rei privatae personae videbantur plurimae distinctae illud maxime agentes, ut opes, quas populus inferebat, inter se partirentur; unde facile intelligi poterat, quae studia Personarum istarum in illa domo et inter eas negotiationes essent. Quibus ut tutius vacare possent, aedes ipsae tormentorum praesidiis, et fossis circumdatae erant.

2. In foro eodem conspexi gregatim stantem multitudinem hominum tempus confabulationibus terentem, deliberabundum, quid rerum (postquam res suas unusquisque agere desciisset) aut consilii capessat. Tum subito e domo *Rei privatae* prorumpens intercurrit eques faemina in omnes homines impune violenta cum vario telorum et armorum genere, sub qua excussis habenis equus indomitus ore et naribus ignem spirans cursu veloci in stantem multitudinem ferebatur, multosque pedibus in terram procidentes conculcabat. Nomen autem mulieris fuit: *Licentia.* Penes hanc ibant, *Seditio, Contemptus Magistratuum,* quae dum Reipublicae tectum, ipsamque Religionem et Justitiam praeterveheretur, audacter in utramque equuo invecta est, easque maledictis incessit; quod quidem facinus illa primum ausa. Ferebatur hinc numerosa equitum cohors velut amovendae turbae causa, amplamque viam suo numero faciebat, ita, ut eadem via protinus irrumperent tres aliae faeminae multo auro micantes, quas germanas vultuum

tuum et vestium similitudo loquebatur: *Ambitio, Avaritia,* et *Luxus.* Has sequebantur duo viri, *Perjurium* et *Oppressio Innocentiae*, quorum vestigiis insistebat et a tergo inspectabat, quasi poenas ab eis prima quaque occasione exactura *Rhamnusia*, tandemque his atque prioribus omnibus manum minaciter intentans sese ab eorum consortio subduxit; et praeterita licentia, praeteritaque domo Senatoria cum suo agmine libere incedebat.

3. E rudi illo tentorio eductus est currus pervetustus et absque temone, an vetustate consumpto, an violentia effracto ignotum, hunc bos et mula gravida trahebant, dorsis viros quosdam diversae conditionis (ut judicari poterat) ferentes. Exigua spes erat profectionis, quisque enim animal in suam partem urgebat. Bovi haec erat inscriptio: *Optat ephippia bos, optat arare caballus.* Mulae vero: *Ubi peperero, res vestrae melius habebunt.* In medio curru fuere tria subsellia distincta, in quorum excelsiore sedebat virgo quaedam liberali forma sed veste obsoleta; capilli ejus inconcinne jacentes, pallida item facies et oculi lachrymis innatantes, valetudinariam esse indicabant; inscriptionem praeseferebat: *Respublica.* Religio quoque non minus defoedata cum Justitia sorore sua itidem aegra conscendit currum, et suo quaeque subsellio resedit. Tandem puellae duae pone venientes currum manibus sustinebant cum titulis: *Spes, Patientia,* utraque lamentabilis aspectu miserando omnes astantes in sui commiserationem adducebant. Sic igitur Respublica diversis vectorum et animalium studiis profecta ad Senatoriam domum tardius pervenit. Ante cujus fores dum consisteret, sed ob diuturnam absentiam suam ignotam illis fore crederet, vereri se dicebat, ne, si nihil adferret, ingressu prohiberetur, et tandem sorores (num quid auri se penes haberent;) percunctatur; quae ei nihil quidem se habere responderunt, bono tamen animo eam esse jusserunt, inquientes, illos Filios suos esse e sinu materno profectos; hincque minime sperandum fore, ut tam crudeles esse velint, quin te obviis amplexibus recipiant, honoremque debitum Matri suae carissimae reverenter deferant; nisi ita et sui et ipsius immemores esse velint, ut se ipsos odio prosequantur. Qui enim Matrem odit suam, is se ipsum odisse videtur aegreque ferre quod in lucem ab ea sit editus. Ast colloquium hoc perfrictae frontis mulier nomine *Ingratitudo* eam ut pauperem et squalidam aversata contracto supercilio intercepit. Inde subito egressa est Virgo aspectu vultuque toto solis instar fulgente in pectore scriptum habens: *Veritas.* Haec conspectum in currum Reipublicae confestim currens, alacriter eam est complexa, tum quidnam sibi velit, quod tum moesta, aegra et sine debito comitatu praeterquam

ſororum ad Domum Senatoriam venerit, rogat, obſecrat. Cui illa, ad Filios inquit venio, quos ideo peperi, ideo nutrivi, ut in mea quoque neceſſitate mihi ſuccurrerent, et dum hoc mihi adhuc vitae reliquum eſt, me ſibi, ſeque mihi incolumes ſervarent. Aſt ubi illi ſunt, cum nemo exeat obviam Matrem ſalutaturus? Ne mirere *veritas* ait, nemo enim intus eſt, praeter antiqua quorundam veſtigia in pulvere relicta. Quos autem poſt columnas ſedentes conſpicis, hi quidem de Te bene ſunt meriti, aſt latentes a Tua liberalitate petunt, Te egente etiam egeni. Ideo neque Tui cura illis eſt credita. Sunt inter eos et alii ſed praematuri adhuc, qui Tibi auxilio nondum eſſe poſſunt. Spem tamen non vanam foveo, brevi Te illis magnopere curae futuram. Illi vero, quos ſperabas hic jam adeſſe, nondum venerunt, diverterunt enim ad Domum *Rei privatae*, ubi dies totos ei ſoli addicti conſumere ſolent. Quoties autem de Te ex conſuetudine magis quam amore conſilia ſuſcipiunt, id ita agunt ut eorum Res privata, hoſtis vero tua, ſalva et diuturna ſit: imo ipſos etiam conventus in tuis negotiis hucusque nomine tenus celebrari ſolitos jam intermiſiſſent, niſi a thalami tui praefecta *Libertate* equeſtri obſervarentur. Quantum enim illi tuae cauſae faveant, oſtendunt eorum vota et ſententiae ex ordine dici ſolitae. Quae ſi parum faciunt ad fidem, vide eorum profectionem, quae jam futura eſt. Huc enim tu ſola derelicta, et quaſi in Domo tua peregrina et ignota veniſti. *Res privata* vero, quae tuo beneficio vivit et crevit, eorum comitatu aureaque rheda etiam nunc, ubi de te ſola videbitur agi, adducetur.

4. Interea dum Reſpublica lachrymis offuſa veritati acceſſum parabat; ecce buccinarum ſonus, pulſusque tympanorum intonuit, atque extemplo armati tres viri apparuerunt recta ad Rempublicam venientes: priori nomen fuit *Amicitia ſimulata*, qui equo glauci coloris vectus, collo vulpem ducebat. Secundo: *Odium inteſtinum;* hic equo inſidebat cinericio lupum venatu ducens. Tertio: *Inimicitiae apertae*, qui urſum ferrea catena ducens fulvo equo vehebatur. Hi cum Rempublicam in ſuo curru ante fores Senatoriae Domus inveniſſent, convitiis eam inceſſere, quod ita tenuis fortunae mulier in tam publico loco, qua Regi et Senatoribus eſſet iter, conſtiterit. Advolantibus igitur illis magno impetu, actiſque in diverſum jumentis curru diſſoluto, miſera et jam ſat languida Reſpublica una cum Sororibus aegris cum ſumma indignitate evertitur. Quae dum everſis ſellis collaberentur, mulier quaedam nomine *Direptio*, tres illos viros ſecuta, reliquum, quod habebat Reſpublica, diripi, ab eaque tolli debere, ipſamque fieri captivam vociferabatur. *Deſperatio* vero ſocia Direptionis arreptum cultrum ejus jugulo

defigere

defigere cum properaret, *Spe* in eam irruente ab incepto destitit. Concussus et ipsi *Religioni* calix. *Justitiae* bilanx et gladius confractus. Pudefactae ea injuria Virgines collectis armis plorantes attollunt Rempublicam et praeeuntibus ancillis pene exanimem in suas aedes deferunt, et paupere strato deponunt. Misera *Religio* denuo in vestibulo Domus suae resedit, subjecta capiti manu, quasi nihil aliud, nisi obitum et finem suum exspectaret. Dein *Justitia* nequicquam sublato ense medium perfracto in limine domus suae sedens visa Religionis facie ploratum emisit.

5. Prodiit iterum in medium vindex illa Rhamnusia cum patera plena venenato liquore et circumstantem multitudinem ex ea potavit. Quae cum bibisset, confestim ex ea turba egressa est mulier nomine *Curiositas*, Domumque Reipublicae festine subintravit, et collustratis perturbatisque omnibus, tandem libere erepto Justitiae gladio (ne superesset, quod metueret) ad Religionem maestam in vestibulo sedentem accessit, clavesque e manibus ejus extorsit, et in penetralia templi descendit, nihilque ibidem sacrilega manu intactum reliquit. Hanc secuta alia mulier nomine *Dubitatio* errorem post se ducens. Haec cum non reclamante Religione patrarentur supervenit mulier portentosa, nomine *Blasphemia*, quae in ipsum Divinum Numen injurias varias effutiit. His tandem templo egredientibus ingentis magnitudinis occurrit Draco ceu multarum calamitatum nuntius. Cujus aspectu ita multi sunt perterriti, ut velut simulacra starent. Undique confluente multitudine novus exercitus a Domo *Rei privatae* apparere coepit. Primi erant viri canitie graves, rubras togas induti: hos continuo secuti alii maturi senes splendidi vultu et gravitate oris spectati. Agmen claudebant quatuor jugales inscripti: *Papularitas*, *Turba*, *Confusio*, *Calamitas*, fulgidum auro et ebore carpentum trahentes, in quo vehebatur mulier adeo luxuriose amicta, ut auri gemmarumque fulgore oculos hominum laederet, nomen habuit *Res privata*. Ad hujus genua sedebant duae faeminae quarum nomina *Merita* et *Dignitas*; a tergo vero illius *Cupiditas*, hujus, *Tyrannis*, inscripta fuerunt, eo fere modo, quo et earum aedes. Carpentum *Rei privatae* ingens multitudo utriusque status hominum sequebatur. Hic cum omnes, penes quos summa rerum erat, a multitudine admonerentur, ut errantia illa portenta Licentiam nempe et temerariam Curiositatem diligenter observarent, et siquidem certum exitium portendant vel potius ipsum sunt exitium, e medio tollerent, et e Patria abigerent; ipsi vero vocem hanc tanquam vanos plebis tumultus aversarentur; saxum sublato mox clamore haec verba protulit: *Nos duri sentimus lapides, quod vos non*

sentitis

sentitis homines, aliorum exempla non vos movent, vestra movebunt. Haec ubi verba audita sunt, tanta consternatio omnium occupavit animos, ut rei novitate perterriti ex equis semianimes delaberentur. Invecta tandem res privata in Domum concilii, locoque ab ea potiore occupato clausa est janua.

6. Inter tormentorum, tubarumque ac tympanorum strepitum ex tentorio Regis egrediebatur ingens Equitum agmen aureis torquibus praecinctorum sed amictu peregrino; in eorum medio plurimis stipatus asseclis Vir Augustae Majestatis vultu peramabilis, capite auream coronam, sinistra malum aureum, dextra vero sceptrum ferens equo proficiscebatur; nomen ei fuit Rex, quem duo senes gravitate conspicui cum caduceis praecedebant *Consilium* et *Voluntas*. Quam primum autem Magister Camerae Reipublicae (cujus nomen erat *Sensus ruinae*) Regem haud procul abesse videret, mixta lachrymis laetitia ad Ejus se se pedes abjecit, nec orando solum implorabat opem, sed inter plorandum enixe eum obtestabatur, ut miseram Rempublicam heram suam a domesticis suis non modo derelictam, verum etiam direptam et oppressam invisat, et prius quam ad hostes fama ejus rei perveniat, de ea sananda consilium instituat, ejusque curam quantocyus suscipiat. Nam si in ea conditione deseratur, vix deorum ope (cum extremo malo afficiatur) deinceps esse sanandam; extrinsecus ab hostilibus armis multum sibi terroris et periculi adesse, intrinsecus autem ita omnia fervere, tantamque in omni statu sive ordine esse seditionem, ut, nisi Deus modum subministret, quo imminens periculum propulsari possit, de ea actum sit. Sentire enim se et jam pene ob oculos sibi versari non tantum a praesenti ratione, quod adeo Respublica aegra decumbat; sed magis, quod neminem videat, quem tam praesentia quam imminentia mala ab eo somno excitare possint, ut velut sponte omnia in perditionem ruere videantur. Ut igitur pro officio suo, pro pietate Patriae debita, pro eoque, quod res omnes in ruinam inclinatae postulant, eam curam in se Rex suscipiat, et se comparet, ut tam praesentibus malis, quam proximae calamitati, quae Regno imminet, non desit avertendis magno cum fletu postulavit. *Sensus ruinae* oratio grata erat Regi, libenterque et attente eam audisse visus est, et tandem ipsum Sensum ruinae inter alios Curiae suae Praefectos adscivit. Itaque ut primum Domum Senatoriam Rex accessit, ab omnibus cum ingenti gratulatione et laetitia exceptus, atque anteeunte *sensu ruinae* cum *consilio* et *voluntate* introductus, suo Tribunali consedit. Tribunalis vero inscriptio supra caput Regium fuit haec: *Rex qui judicat in veritate pauperes, Thronus ejus in aeternum firmabitur.*

7. *Con-*

7. *Consilium* Gubernator primus Regius, indicto silentio, memor eorum, quae paulo ante a sensu ruinae dicta et petita sunt, his verbis sapientissimum Regem affatur: Velit primum esse memor in quanta tranquillitate, post sacratissimae memoriae Antecessorem suum, a DEO et ordinibus Regni ejus curam susceperit? deinde quam spem Regis optimi sua optima et vero Rege digna indoles fecerit; quem non forte aliqua sed divinitus omnes subjectae Provinciae sibi oblatum gratularentur, tantis ingenii dotibus, tanta prudentia praeditum, ut omnibus ante se Regibus hanc palmam eripuerit, et sicut alii gubernandi sic ille bene administrandi Regni perfectam rationem habiturus videretur. Rerum quid fiat? nescire se ait, quod sub Ejus sanctissimo Dominatu non omnia pro voto habeamus, sed plurima ita fieri, ut nos jam manifestis poenis affici videamur. Cujus sibi non videri aliam causam, nisi nostra communia scelera. Juste enim Deus nostras spes in diuturnam exspectationem differt, ut nostram conversionem, vitaeque emendationem videat. Justus est, nihilque erat moraturus, si nos in emendando nullam moram fecissemus. Quod si diutius a nobis exspectat, quod ei debemus,! quare molestum fuerit, nos ab Eo diutius exspectare, quod nobis haud debet? Non itaque videri sibi mirum, quod non omnia ex animi sententia habeamus, sed mirum potius, adhuc tam prospere nobiscum agi, in tanta scilicet licentia, et omnium fere a Republica studiis aversis, in tanta denique impunitate, ut quoquo te vertas omnia praeter fas et aequum fieri videas. Quare si et rerum necessitati subvenire, et hominum exspectationi satisfacere cupiat, haec a se petit et servanda consulit. Primum, ut se Regem esse meminerit; deinde qualis Regni Regem, utpote in quo sit simillimus nauclero, qui ad navis gubernaculum positus clavum teneat, eum ita gerendo, ne aut in syrtes aut latentia saxa impingat. Ut intelligat non sibi Regnum, sed se Regno esse datum, seu ejus se custodem esse, non Regnum sui. Hinc leges Regni non tantum cognitas habeat, verum etiam omnes ad earum observationem ducat, quarum unicus sit ordo *Jus* et *Justitia*, quae nihil aliud sunt, quam unicuique, quod suum est reddere. In quo principem locum habent ea, quae DEO tribuenda sunt. Secundum Divina ea ponantur, quae subditorum salutem, libertatem et tranquillitatem tuentur. Et quemadmodum unum est *Jus*, ita sub aequali poena et legum conditione vivant tam potentes quam inferiores ac, praesertim quos ab aequalitate summa etiam ministeria non exemerunt. Videri alias sibi libertatem vanum nomen rei non existentis esse. Si itaque hunc clavum tenere volet, sequentia quoque singula omnino sibi tenenda esse:

1 Adhibendam esse legum quandam austeritatem, poenasque contra grassantem licentiam extendendas.

2 Oppressos protegendos, illisque sine ulla procrastinatione secundum Jus et aequum ut fiat, curandum.

3 Nihil per gratiam cuiquam indulgendum, nihil denique per vim inferendum, sed in omnibus boni et aequi rationem habendam, in quo vel solo fortitudo et prosperitas Imperiorum consistit.

4 Ita Regnum seu Rempublicam procurandam, ne dum unam partem tuetur, reliquas deserat.

5 Aequalem aequalibus animum (si caetera sint paria) exhibendum.

6 Subditos praesertim Officiales in suis officiis retinendos.

7 Senatores vere Senatorio in Rempublicam animo constituendos.

8 Bonis semper sive de se et Patria benemeritis et ut plurimum doctis favores Regios exhibendos, ut alii hoc stimulo ad virtutes colendas atque animos ad obsequia Patriae commodiora disponendos invitentur excitentur.

9 Adulatores ut corvos rapaces aversandos, ut enim hi effodiunt oculos, ita illi animi sensus hebetant et sunt vera pestis boni publici; in eorumque locum viros, qui salutaribus consiliis animum instruant, et quorum indoles seu virtus per gradus varios cum pacis tum belli tempore probata sit, quique Patriae necessitate quacunque exigente quoquo modo utiles esse possint eamque tueri, assumendos.

10 Seditiosos et publicae tranquillitatis turbatores ad Reipublicae gubernacula non admittendos: tales enim causa perditionis esse solent.

11 Rebelles seu Jurisdictioni cuicunque resistentes et Justitiae obstaculum ponentes coërcendos, inque disciplinam et ordinem redigendos.

12 Regni aerarium in solam defensionem Regnique munimen convertendum, luxum, quantum aequum et ratio sinit, ex omnibus statibus extirpandum, eosque sumptus, qui quotannis Rempublicam egentiorem reddunt, in commodum Patriae convertendos.

13 Cupiditates suas initio statim oppugnandas et vincendas: quemadmodum enim illustrior est victoria sui quam hostium, ita magis Principem commendare solet, quam si de plurimis hostibus eidem triumphare contingat.

14 Postremo in se omnia velit conspici, quae Christiano Principi inesse debent, ut, quod alios facere cupit, ipse prior praestet et exequatur. Qui enim recte ducit, ut alii recte sequantur, facit. Hanc

prope viam unicam tutiſſimam et quaſi Regni animam eſſe. Hanc *Conſilii* orationem Rex benigne audivit, cui etiam *Voluntas*, Regius Vicegubernator, cum annuiſſet, apparuit eques vaſto corpore abſque capite cum hac inſcriptione *abſconditum Dei judicium* quo Rex viſo non parum exhorruit.

8. Tandem *Voluntas*, Vicegubernator Regius, pro Rege ad Senatores ſequentem orationem habuit: Perpendite primum, Patres Patriae, quamobrem eos honores adepti ſitis, unde et ipſi et poſteri veſtri cum dignitate, tum opibus inter homines excellant. His fortunae bonis non ſolum non inſoleſcendum ſed ne fidendum quidem. Haec enim eſt fortunae natura, ut viciſſitudine delectetur, et perpetuo dejiciendis ſummis ad infima, et infimis ad ſumma evehendis laboret; nec minus periculoſum eſt in proſpera fortuna altum ſapere, quam in lubrica via curſu certare. Quapropter cavendum vobis ſummopere eſt, ne ejus bonitate abutamini, neque vos in faſtum obliti ſortis prioris erigatis, tolluntur enim haud pauci in altum ut caſu graviore ruant. Deinde cum omnia fluxa et caduca ſint ſeu perpetuae viciſſitudini obnoxia, omnem veſtram gloriam in praeclare geſtis et meritis erga Rempublicam ſitam eſſe exiſtimetis, eorum aeternam memoriam permanere; haec firma imperia, has veras opes, in quas nec caſus nec fortuna nec tempora quidquam juris habeant. Quapropter ut quisque veſtrum ſui officii et loci memor eſſe velit, et quam optime Patriae conſulat, Regique ſalutaria conſilia ſuppeditet. Ante oculos porro ipſos ſibi proponere jubet, quae ſit rerum ſuarum facies, qui ſtatus in Patria, quam omnia, quoquo te verteris, quaſi flere videantur, omnia horrere et ſquallere. Cauſaſque ipſi apud ſe quaerant, quomodo fiat, quod ipſa pene machina Patriae eorum perniciem et ruinam loquatur, quodve mala cuncta nullo alio de fonte prodierint atque hodienum prodeunt, et deinceps pejora ſunt proditura, niſi ex averſione eorum a Republica ad propriorum emolumentorum rationem, ex deſertione propriae vocationis, aut non reſpondendo ſuo officio. Atque haec eo rem adduxiſſe, ut licentiae feneſtram ſeu viam aperuerint patentiſſimam, quae nullis Juſtitiae poenis coërcita, poſthabito DEI timore, omnium Domos tantis ſeditionibus et diſſidiis repleverit, ut in Regno non Chriſtianis legibus imbuto vivere videamur. In his ejuſmodi malis, et aliis gravioribus futurae calamitatis indiciis (ſi modo in ſe deſcendant ſeu diligentius examinent) ipſosmet dubitaturos eſſe, an ſuis honoribus digni ſint, ſi ea officia, quorum gratia eos honores adepti ſunt, negligant; ſi nihil praeter *Rem privatam* ſibi curae aſſumant,

mant, publica vero, quae privatis utpote a se dependentibus anteponenda bonis, quasi minime ad se pertinentia vel contemnant penitus, vel parum curent. Si pro custodibus proditores, pro defensoribus oppressores, pro Patribus hostes se se exhibeant. Si contentionibus et odiis privatis miseram Patriam dilacerent, Religionem Christianam antiquam et orthodoxam novis commentis aut violent, aut plane deserant. Si nullis malis publicis commoveantur: si praeter gentium omnium Jura, et Regni leges proprias, bona Reipublicae privata cupiditate ad se transferant. Si quidam eorum templa DEI quoquo modo spolient, alii vero ad ea facinora obmutescant, aut conniveant. Si placari Divinam iram, publicasque calamitates avertere in tot tantisque flagitiis negligant, in quibus omnibus nisi ipsimet manus immunes habeant, et criminibus ejusmodi pro munere suo obsistant, nequaquam fidos Reipublicae Senatores dici posse. Si vero culpam in aliquem alium vertant, quod in tanto discrimine Reipublicae sedeant domi desides inter se altercantes, Regemque tantum eminus aspiciant, quo spectet, quo animum aut curam intendat, ita procul dubio culpam in se rursus esse recepturos. Principi siquidem tantis virtutibus exornato non tantum ad laudabiliter gerendum Regis officium nihil deesse, verum etiam cum animum tum voluntatem adesse, ut primo quoque tempore Rempublicam ab ea conditione vindicet, ut omne bonum divinet animus. Cum autem non ignoret, *charitatem* mutuam animam esse Reipublicae, quaeri solet, quomodo fiat, quod in sua Republica adeo discordem habeat Senatum? nihilque dubius respondit: Ordinum discordiam venenum esse Reipublicae; quam ut reprimere ac extinguere possit, nulli labori, nullique difficultati suae immo neque Regiae Dignitati pepercisse, sed ubique Clementiam et vere Regiam placabilitatem, (quae in hoc libero Regno Principibus semper maximae laudi ducebatur) absque profectu seu effectu fuisse; usque adeo omnem licentiam in cursu esse, ut merito severioribus legibus uti oporteat, alioquin esse verendum, ne domestica mala nos obruant. Orare itaque eos, ut ad concordiam tanquam unicum et efficacissimum in rebus desperatis remedium, inclinent animos, omnemque simultatem deponant, memores: *Discordia civili extolli hostiles animos, frangi vero et terreri concordia.* Videant denique et caveant quam maxime, ne antiquam et orthodoxam fidem aut novis cultibus profanent, aut pro sua quisque libidine fingat, sed eam, in qua nati renatique sunt, sancte et religiosissime amplectantur, tueantur. Alienam messem sua falce vitent, sed unusquisque intra metas officii tam Seculares quam Ecclesiastici se se contineat, nihil

nihil per ambitionem, nihil temere agant, ſed leges Patrias in omnibus ſequantur, adque eaſdem omnia exigant. Ad extremum et ſummum omnia ſua ſtudia et induſtriam in ſolam boni publici utilitatem (cujus cauſa tam inſigni Magiſtratu funguntur) conferant, ſi cum dignitate et fide Patriae debita de eo loco, quem adepti ſunt, caeteris Reipublicae filiis conſpicui eſſe velint. Ad hunc ille modum cum peroraſſet, multorum ex Senatu aſſenſu carebat, viſum enim erat auribus eorum acerbam hanc orationem fuiſſe, qui malunt res ſupponere quam examinare, et vera eſſe ea, quae ipſi malunt, non quae talia ſunt.

9. Poſthaec vidi faeminam quandam nomine Rhetoricam ex improviſo in medium ingredi. Haec ad ſatietatem ne dicam nauſeam auditorum animos magis detinuit eſtque morata, quam movit, ut de redigendis in meliorem ſtatum rebus agerent. His dictis veluti morbo correpti ex ordine ſententias ſuas dicere coeperunt tam longas tamque diverſas et diſſentientes, ut in multos dies articulos dicendo protraherent, et nemo eſſet inventus, qui dixiſſet quod alter probaret, quaſi dicendi non conſulendi ſeu dicendo contendendi cauſa eo conveniſſent. Nam et illi, qui corrupto alias judicio manifeſte ſunt loquuti, ne inſcitiam ſuam arguerent, victricem potius temeritatem ſeu loquacitatem ſalutaribus aliorum ſententiis opponentes, et illi, qui recte loqui videbantur, moderationem nullam ſermoni adhibebant. Itaque dum in contraria non jam itur ſed curritur, non fuiſſet alius rerum eventus. quam tumultus et confuſio; niſi veneranda forma mulier cum inſcriptione: *Aequitas*, interventu ſuo ineptam illam et loquacem Rhetoricam, magis arma quam pacem, odia quam charitatem et amorem perſuadentem, ſententia ſua compreſſiſſet, ſuique potiorem rationem eſſe habendam (praeſertim in tantis rebus) docuiſſet: cum ea tempora venerint, quibus poſt tantam luxuriam felicitatis, et indulgentiam diuturnae fortunae ad extrema prope ventum eſt. Quae mala, ſi vos viri eſtis (aiebat illa) non verbis, ſed factis, non altercatione, ſed charitate et manſuetudine, non faſtuoſa praeſumptione, ſed modeſtia, non temeritate, ſed facilitate vos amoliri oportet. Ut igitur non odioſae modo ſed etiam damnoſae loquacitati finem imponeret, et eorum facto non dicto curatores eſſent, memores potius malorum in quibus verſantur, quam verborum, caſtigatione verborum adhibita, omnes adhortata eſt.

10. Stante adhuc *Aequitate* concionabunda ingreſſus eſt e turba hominum vir, dictus *Timor DEI*. Hic primum ad Regem, deinde ad Senatum faciem terribilem ita obvertit, ut et univerſi trepidarent, et *Res privata*

 pene

pene emoreretur. Simulque advertit a Senatoribus plerisque, indignanter suum adventum ferri, existimantibus a Rege introductum esse, sic igitur pro Rege et pro se respondit. Indigna Optimates in Regem haec vestra indignatio, quod huc introiverim. Nam ut illius arbitrio huc minime veni ita neque eodem hinc arbiturus sum. Sine me omnes vestri conatus vani et nulli sunt, si me a vobis excluseritis, quod pene omnes cupere videmini. *Res privata* enim, quae meo adventu perterrita exanimari coepit, vos sui amore adeo mancipavit, ut quod rectum est minime cerneretis, fraudesque ejus pro veris bonis amplexi sitis. Verum si quid vobis maturi judicii est, facile intelligetis neminem unquam ab ea ita fideliter adjutum esse, ut ea sola patrocinante tutus esse potuerit. Vertite itaque oculos et studia vestra alio, videbitisque mox *Rem privatam* vestram perniciem esse Reipublicae. Vestram aspicite benefactricem Rempublicam, cujus opera isti vobis honores obtigerunt. Aliis quidem in Ecclesia ad populum vera religione instituendum, aliis in politia seculari exequendae Justitiae et publicae tranquillitatis procurandae causa. Cur non eam potius iis honoribus, quibus insidiatricem vestram, afficitis, quae vos tot tantisque beneficiis cumulavit, et in hac luce collocavit? Sed video eam prostratam humi jacere, neminemque adesse qui manum jacenti porrigat eamque erigat et ab interitu vindicet. In desideria cordis vestri ita ruitis ut in ipsis quodammodo ruinam Patriae quaerere, tandemque Religionem et Ipsum *Deum* derelicturi videamini. Qui nisi brevi erga Eum vestros animos mutaveritis singulique ea quae amor Ejus, proximi et Patriae exigit, egeritis, scitote, Domos vestras] ab Eo desolationi esse dandas. Sicut in vastitate hostili iniqui sunt coetas vestri quos odivit anima Ejus. *Propterea cum extenderitis manus vestras ad Eum, avertet oculos suos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiet. Manus enim vestrae sanguine plenae sunt. Terra vestra fidelis facta est meretrix, plena judicii, Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidae, Principes infideles, diligentes munera, sequentes retributionem, qui populos non judicant, ad quos causa viduae non ingreditur. Propterea dicit Dominus, quia ad iracundiam provocastis me, gladius devorabit vos.* Orationem *timoris DEI* luctus omnium (quotquot aderant) exceperat. Tandem in medio et gravi Senatorum luctu consurgit *Sensus ruinae*, et tam Regem, quam caeteros omnes, abstersis lachrymis, ad sumendos meliores animos hortatur. Ita benignum, clementem et multae miserationis dicitur: naeque exspectationis (inquit) esse Deum, ut facile mutet sententiam, si vos proposito meliore nequitiam vitae commutetis. Quod ubi factum fuerit admovendas esse manus

nus labenti Reipublicae, et sananda ipsius tam externa quam interna vulnera. Rationem curandi perfacilem esse, modo toto et sincero animo ad Rempublicam accedatis. Quibus exauditis Rex cum Senatoribus assurgit, et alacriter ad Domum Reipublicae accedit.

II. Procedenti cum Senatoribus Regi duae eleganti forma Virgines obviam venerunt intexta nomina ferentes: Prima *Prudentia*, cum grandi speculo, secunda *Temperantia*, cum cyatho vini intacto. Hae Regem et Senatum omni verborum honore salutatum in hunc fere modum alloquutae sunt: Sollicitis vobis de meliore rerum vestrarum statu operae pretium nobis facturae videbamur, si praesto in partem aliquam solicitudinis vobis adessemus. Sciebamus enim nihil prosperi agi in eo consilio, a quo essemus absentes. Quapropter cum de Republica in optimam formam redigenda negotium sit post ejus nefandum direptionem, inprimis enitendum est vobis, ut omnem cupiditatem a *Re privata* ad Rempublicam (quod quidem uti omnium primum, ita et difficillimum est) convertatis; eam fidem Reipublicae servetis, eos honores constituatis, quos *Rei privatae* tanto tempore habuistis, ut jam deinceps tam in Comitiis quam caeteris conventibus sive publicis sive privatis atque adeo ubique Respublica priore loco habeatur. Res privata vero ut ab ea tota pendeat, atque illius munificentia vivat, agnoscatque Rempublicam tanquam Dominam. Illius causa quidquid agit, agat, et quod reliquum est temporis, id sibi ad propria negotia concessum esse existimet. Deinde ea, quam vobis adjicimus, *Resipiscentia* (stabat tunc ab illarum tergo virgo poenitenti similis) recipienda est. Quicquid enim a vobis hactenus licenter admissum est, illa diluet, Numenque Divinum placabile reddet. Quod si fuerit factum, haud difficulter in manus venire poterit, quod in tanto desiderio est, suoque loco restituenda omnia. Respublica plane convalescet, quae in hoc orthodoxo Regno *Religione* et *Justitia* nititur. Verum quia non bene seritur utile frumentum, unde non prius ejecti fuerint sentes et segnis carduus; quare ut etiam vobis meliora tanto certius et ocyus quanto libentius succedere possint, omnia vobis impedimenta amovenda sunt, idque maxime agendum, ut praeprimis malorum fomes effrenis licentia temere et perperam cum libertate tanquam dono caelesti confusa exstirpetur evellatur, virtutesque in sua loca restituantur, ipsis condigna praemia et sceleri justae poenae constituantur ubi enim justitia exulat, Reipublicae forma cessat, seu non existit, utpote sui constitutivo privata. His dictis converterunt omnium in se oculos Virgines, non eratque dubium, omnes desiderio videndae sanae Reipublicae

cae teneri; nihilque jam majore in exſpectatione fuiſſe videbatur, quam modum reperiri, quo ea (de quibus toties dictum eſt et ſiqua alia invenirentur) mala de medio tolli poſſent. Cumque in deliberatione ejus rei verſaretur, vir quidam Medicus (cujus nomen *Charitas*) cum adminiſtro ſuo *Conſtante*, Regis juſſu, antidotum aureae pyxidi incluſum adfert; qui de induſtria ante oſtium illius Domus ſubſtitit, ut qui circumſtabant inſcriptionem pyxidis facilius legere poſſent. Quae talis fuit:

O felix hominum genus
Si veſtros animos amor
Quo caelum regitur, regat.

12. Cum animis ſuſpenſis multitudo deliberabunda ſtaret, cupida audiendi quid de Reipublicae valetudine advena Medicus referret; prodiit e cubiculo Reipublicae adeo nobili et eximia forma virgo, ut (quocunque incedebat) oculos omnium in ſe converteret, quae toto illo tempore, quo licentia in illis partibus moraretur, nuſquam fuit viſa. Nomen illius graeco et latino idiomate inſcriptum erat *Eleuteria* et *Libertas*, ob id fortaſſe, quod apud eas gentes, atque in omni recte conſtituta Republica ſemper maximo pretio fuerit. Haec Regem confidenter accedens liberaliore eum quam alios ſermone alloquuta eſt in hunc modum. Reſpublica Domina mea voluit me tibi Regi optimo, amico et cognato ſuo cariſſimo, nonnihil de ſua valetudine referre. Valere ſe ipſa paulo melius ait; jamque ad ſe rediiſſe, ubi hoc antidotum, quod ei miſeras, delibavit. Agitque Tibi gratias, quod tam efficaci remedio ejus debilitatem attigeris. Quod ſi ei ex animo faves, et diuturnam ejus valetudinem (uti nulla dubitat) eſſe vis, petit eam campanam, quae ante oſtium Domus *Juſtitiae* pendet, te jubere pulſari, hoc enim ſolum ad perfectam ſanitatem ſuam deſiderare videtur. Reflexit Rex oculos, viditque non vanam ejus poſtulationem eſſe, ubi campanae inſcriptionem conſideraret: *Leges;* et piſtillum in terra jacens, quod a multis annis abreptum ſeu avulſum in pulvere denſa rubigine conſumebatur, hanc inſcriptionem retinens: *Exequutio.* Alligato itaque campanae piſtillo, ſeu malleo pulſum fieri mandat, ut votis Reipublicae ſatisfaceret. Quem pulſum magna pars hominum confuſa atque incerta animi, alia indignanter, alia aegre ferebat. Sed ubi a libertate ſuos vultus obſervari animadverterunt, conſternationem animorum quadam laetitia diſſimularunt.

13. Confeſtim turba quaedam adventare coepit duce *Sana mente*, viro, ut judicare poteram, prudente, et priuſquam locum pugnae tenuiſſet, inſtructa acie veniebat, miſſoque feciali hoſtes late vagabundos a praedis ad pugnam

pugnam legit et convocat. Praeferre illi primum animos, dein magis ira quam consilio arma cepere. Quamvis enim numero superiores essent, tamen cum eum ducem adversus se venire vidissent, quem nihil temere acturum confidebant, animis conciderant, praesertim quod ipsi sine duce essent; sed ut nemo cuiquam obtemperare didicerat, omnes duces esse volebant. Hostes autem hi fuerunt: *Licentia*, *ambitio*, *avaritia*, *luxus*, equites; dein *perjurium*, *libido*, *homicidium*, *oppressio innocentiae*, *amicitia simulata*, *odium intestinum* et *inimicitia aperta*, *curiositas*, *error*, *profanitas*, *impietas*, *blasphemia*, pedites. Ex nostris vero partibus stabant: *Disciplina*, *modestia*, *frugalitas*, *usus bonus Divini nominis*, *continentia*, *concordia*, *defensio innocentiae*, *vocatio*, *scientia*, *doctrina orthodoxa*, *sanctimonia*, *pietas*, *benedicentia*. Adventus charitatis ita fregit hostium animos, ut pallore confessi timorem pro victis se ante pugnam haberent. Collatis tandem utrinque signis dubio initio Marte certatum est, post victrices nobis cessere palmae. Cumque nullus fugae esset locus, omnes fere fusi sunt hostes. Spolia lecta sunt et ad Domum *Justitiae* delata. *Licentia* cum excussa multitudine sola superesset, e Christiano Regno ad Barbaros profuga exilio perpetuo se mulctavit. In communi omnium laetitia et exultatione advolavit de caelo adolescens nitore angelico, forma augustiore humana, cum inscriptione: *Polydorus*, qui subridens modicum seipsum spectandum et amandum praebuit. Is quid sibi vellet inscriptiones abunde loquebantur. Oculis enim inscriptum erat: *Illuminatio*; pedibus, *Stabilitas*. In sinu legebatur, *Conservatio*, in ore *Pax*, in collo *aurea libertatis conditio*, in praecordiis, *salus*, in ventre *ubertas*, in lumbis *integritas*, in corde *diuturnitas*. Quem juvenem ubi conspexisset Rhamnusia vindex, remque omnem jam ita esse confectam, ut nihil, quod amplius puniat, superesset, ad superos avolavit, terrasque reliquit.

14. Postquam haec eo, quo dixi ordine, peracta sunt, in conspectum Regis et Senatorum ingressa est faemina ultra modum audax sed ingenua, nomine *repetitio bonorum Reipublicae*. Vacuum haec latumque saccum manu ferebat, itaque singulos obibat, praesertim tamen eos, quos non sine fructu adiri posse putabat, ut vacua non recederet. *Libertas* ei semper in ore, *necessitas*, *Reipublicae defensio*; caetera non memini, quae fuerunt. Hujus aspectum multi quidem fugiebant ob molestam ejus et insolitam exactionem, victi tamen blanditiis faeminae, ad necessitatem contribuerunt. Nondum elato saccis recondito auro alia faemina advenit benigniore quam *repetitio* vultu, dicta *moderatio*, quam duae comitabantur ancillae

non jam illae binomiae, aliud fronte praeseferentes, aliud tergo occultantes, sed singulae singulis tantum consignatae nominibus: *Merita* et *Dignitas*. His praeeuntibus atque ducentibus, moderatio unumquemque pro cujusque merito et conditione remunerabatur. Tanta rursum inter omnes orta est laetitia, ut obliti plane *repetitionis* viderentur. Quae ubi peregit munus suum, repetitio accersivit duas puellas nempe *Potentiam* et *Defensionem*, aurumque congestum earum fidei ad servandum et erogandum commisit. Quod illae protinus acceptum magna diligentia reconderunt, exhibitoque Regi et Senatoribus honore, eo, quo ingressae erant ordine, discesserunt.

15. His factis Respublica ita convaluit, ut nulla amplius medicina opus habere videretur. Ipsa quoque *Religio* claves antea sibi nefarie ereptas in manus recepit. Similiter et *Justitia* bilancem et ensem integra assumpsit. Tranquillitatis autem et commodi gratia trigeminae illae sorores carpentum *Rei privatae*, cui *popularitas*, *confusio*, *calamitas*, erant junctae, adduci et eidem *principatum*, *ordinem*, et *felicitatem* jungi fecerunt; ipsumque coronis triumphalibus exornatum inter tripudia et exultationes conscenderunt, seque circa omnia urbis, in qua talia fieri videbantur, aedificia vehi praeceperunt. *Religionem* sequebantur sex ancillae: *Vocatio*, *certitudo*, *sanctimonia*, *pietas*, *benedicentia*, et *Theosebia*. Justitiam vero quatuor: *Disciplina*, *modestia*, *justa possessio* et *frugalitas*, caeterae vero communes ut essent, constitutum fuit. Regem praecedebant tres in auratis togis viri, *Sapiens*, *Justus*, et *Clemens*. Senatum itidem tres, *Fidus*, *Concors*, et *Prudens*. In profectione praeter hominum praecedentium et sequentium catervas animadvertens Respublica spectatorum numerum adolescentum, squallore tamen pallentem, cum inscriptione *Studiosi*, et alibi viros plurimos belle idoneos, dictos *Milites*. Primos hac voce est allocuta: Quid vos ita laceros, pallentesque aspicio, ingenui Juvenes! Non haec facies, non conditio ista vos decuit. Assumite animos, venite mea spes et vita, qui ut in toga vestra me opera juvetis, tot nunc studiorum causa labores suscipitis; vivite, vestra sum, in vestro sinu, ubi maturueritis, laeta, libens, et secura quiescam. Deinde milites hunc in modum compellavit: Quo autem vos charissimi nomine appellem, aut quibus vos beneficiis afficiam, non invenio. Vos cum ego sola et pene derelicta essem, soli mihi superfuistis, honestius ducentes, ubi sique opus fuerit, mortem in mei defensionem oppetere, quam domi vivere desides me relicta; ego vicissim non ignara mali, miseris succurrere disco, praemiaque deferre emeritis. His dictis, jubet liberaliter in utramque partem aurum argentumque effundi, ita, ut et illi, qui spem abjicere et animos

mos despondere coeperant, currum ejus alacres sequerentur. Prodierunt hic quoque obesi aut saltem non graciles habituque religioso viri dicti *Abbates* pedum manugerentes cum inscriptione: *Fructus sine labore.* Hos Respublica petiit ab Episcopis in disciplinam redigi, ut aut doctos piosque (quibus carere videbantur, quamvis contentiosi et suis superioribus refractarii non deessent) viros in suis claustris seu coenobiis haberent, aut Scholas educandae honeste Juventuti Reipublicae olim profuturae instituerent. Ultra proficiscenti Reipublicae venit etiam in conspectum augusta quaedam sed paucis habitata Domus inscripta, *Academia;* in ejus porticu stabant spectatae quidem probitatis sed graciles totum corpus, et ante senium senes, viri procul dubio *Academici,* in quorum fimbriis togarum haec legebatur inscriptio praecedenti e diametro opposita: *Labor sine fructu.* Eorum miserta Respublica petiit a Rege, ut pro merito virtutum suarum liberalius providerentur; cui Rex, non irrita fore ejus postulata, respondit. Audivit porro Respublica egenorum passim per plateas jacentium clamores et ejulatus; his etiam ipsa non minus vitae necessaria provideri ad aliarum non modo Christianarum verum etiam barbararum Gentium exemplum postulavit. Qui vero ea provisione nollent esse contenti, sed finitimis gentibus scandalo et nostrae dedecori et opprobrio esse pergerent, poenis condignis a talibus avertendos, inque Nosocomiis aut similibus domibus ad id constructis laboribus seu facturis variis addicendos. Tandem Republica ad domum consilii advecta summa cum devotione ab omnibus immortali Deo gratiae sunt actae. Dein nomine Reipublicae, Regi et Senatoribus utriusque status *Charitas* brevibus et elegantibus verbis gratias egit; postea in Domum propriam est invecta, ubi aureo sedili assistentibus sibi *Religione* et *Justitia* consedit. Quibus peractis, Rex ac Senatores, ac universi, qui aderant, Reipublicae filii, exhibito ei honore, in suas quique aedes abierunt. Quae omnia ubi peracta sunt, ex tecti Reipublicae altissima specula faemina quaedam, nomine *Fama*, tuba cecinit, ita ut sonus ejus ad dissitissimas etiam orbis partes pertingeret.

16. Divertente cum Senatu ad Domum *Consilii* Rege visi sunt ab aliquot Gentibus venire Legati. Qui de rebus in tam florentem statum redactis fama accepta amicitiam et Societatem Reipublicae sanatae seu circa Religionem et Justitiam restauratae expostulaturi, ordine quisque pro more suae Gentis Regi et Senatoribus primum exponunt. Pulcherrimam se eam Societatem ducere, quae cum ea initur Gente, ubi nihil contra libertatem publicam admittatur, ubi nemini praeterquam Legi et ejus Custodi obtemperetur, ubi placida *Charitas* omnium plane fraternas voluntates fecerit, ubi sedi-

tione et ambitione vacui ſint animi, omniaque coeleſtis Hierarchiae ſimilitudinem et ordinem referant; orant dein ut ſub eum *Juſtitiae fideique* cultum, et in eam Societatem legum et libertatis communionem recipiantur. Ceſſurum id non tantum ſuarum Gentium felicitati, ſi in eam Societatem Gentis liberrimae cooptatae forent, verum etiam decoro et ſecuritati eorum futurum, ſi reciperent eas Gentes, quarum amicitia non minus ipſis honoris eſt allatura. Si enim virtus unita eſt fortior ſeipſa diſperſa, dubium haud eſt, quin proſpera communicata illuſtriora ſint futura, adverſa vero leviora. Nec ullum fore tam potentem hoſtem, qui Provinciam tanta diſciplina domeſtica inſtructam, tanta *Juſtitia*, *Charitate* et *Concordiae* praeſidiis firmatam, tot ſociorum fide undique munitam, laceſſere audeat. Ac quemadmodum bona tum primum, cum unum eſſe coeperint, optima fiunt, ita ſeorſim mala cenſeri poſſunt. In hunc fere modum Legati brevia ſed utilia verba fecerunt, neque ea legatio fuit irrita, ſed aſſenſu fere omnium approbata, et ſine prorogatione in diem ſequentem, ne res differendo langueſceret, datum reſponſum. Non tamen ea res caruit omni prorſus tumultu, obnubilabat enim rurſus multorum mentes *Rhetorica*, quam ineptiis ſuis et longiſſimis diſſertationibus negotium in dies plurimos pro more ſuo trahere volentem, eadem quae prius *aequitas* compreſſit, et e medio ſuſtulit. Quae ubi ſublata ſeu abacta fuit, ingreſſa eſt virgo amabili et excellenti vultu, producta a charitate cum libro, ut utraſque illas Gentes perpetui foederis et amicitiae admoneret. Atque hic Virgini illi liber (ut ſupponitur conditionum aut literarum credentialium) manibus excidit, ſuoque lapſu me dulci ſomno evigilare fecit. Quare cum neque mihi plura videre neque narrare ſit conceſſum, ea aliis rerum expertis ex jam dictis inferenda, aliis divinando relinquo.